

La Croix, lib. vi, part. iii, n. 682, et alii passim.

III. Si Paulus priora sponsalia contraxit cum Francisca solum conditionate sub conditione pendente in futurum, v. gr. si parentes consenserint, si papa dispensaverit, et hujusmodi; et postea, illa conditione non adimpleta, absolute contrahat cum ejus consanguinea in primo gradu, puta cum ejus Francisca matre, vel filia, aut sorore, tunc ex neutris sponsalibus impedimentum dirimens contrahet. Non ex primis, quominus saltem valide cum secunda contrahere possit, quia ex sponsalibus conditionatis ante eventum conditionis non oritur impedimentum; actus enim sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum; arg. § *Sub conditione 4, Inst., De verb. oblig.*, l. unic., § *Sin autem; Cod., De caducitatib. tollendis*, cum suspendatur ejus valor usque ad eventum conditionis; l. *Is cui 42, ff. De actionib. et obligat.*, et l. *Legata sub conditione 41, ff. De conditionib. et demonstrationib.* Neque ex secundis, quia cum sint contra fidem priorum sponsalium, sunt illicita et invalida; et ex sponsalibus invalidis non oritur impedimentum publicæ honestatis, ex Trid. cit. sess. xxiv, *De reform. matrim.*, cap. 3. Sic citati doctores et alii.

IV. Si Paulus absolute sibi desponsavit Francisca, et postea copulam habeat cum sorore ejus Lucia, neutram in uxorem accipere potest; non Francisca, ob impedimentum affinitatis; non Luciam, ob impedimentum publicæ honestatis. Si autem talis copula cum Lucia fuisset habita ante sponsalia celebrata cum Francisca, posset Paulus ducere ipsam Luciam; nam sponsalia cum Francisca essent de jure invalida ob impedimentum contractæ affinitatis; sicque non inducerent impedimentum publicæ honestatis ex novo jure Trident., cit. sess. xxiv, *De reform. matrim.*, c. 3. Ita supracitati doctores et alii passim.

V. Si Paulus desponsavit sibi Francisca, et hanc in uxorem postea duxit Petrus frater Pauli, matrimonio nondum consummato, Paulus, etsi non teneatur, ob sibi fractam fidem, adhuc tamen si vult, potest ducere ipsam Francisca, quia priora sponsalia ob publicam honestatem annullantia sequens matrimonium, non possunt violari vicissim a sequenti matrimonio, ne detur mutua quasi reactio inter duas desponsationes se reciproce irritandi contra expressam prohibitionem cit. cap. *Ex sponsalibus*, unic. De sponsalib., in 6; sic supracitati doctores et alii.

(26. Sponsalia valida, quamvis mutuo libero consensu dissolvantur, inducunt adhuc publicæ honestatis impedimentum. Quamvis enim olim gravissimi doctores negativam sententiam tenuerint, ut videre est apud Barbosam, *De offic. et potestat. episcop.*, allegat. 51, n. 188; Palao, *De sponsalib.*, disp. 4, punct. 10, n. 9; Gutierrez, *De matrim.*, cap. 103, num. 11; Sanchez, *De matrim.*, lib. vii, disp. 58, num. 21, hodie tamen certa est

nostra affirmativa sententia propter authenticam declarationem sacræ congregat. conc. ab Alexandro VII approbatam, quam refert Fagnanus, lib. iv *Decret.*, in cap. *Ad audientiam 4*, De sponsalib., n. 29, his verbis.

(27. « Alphonsus Ruiz et Isabella Rodriguez Pacen diocesis, sponsalia per verba de futuro inter se contraxerunt; sed cum antequam se vidissent, aut simul colloquerentur, Isabella gravi morbo correpta fuisset, se invicem a promissione et juramento absolventes. Nunc autem Alphonsus volens matrimonium contrahere cum Maria sorore germana dictæ Isabellæ, dubitat an sponsalibus cum Isabella contractis et mutuo consensu dissolutis, ortum sit publicæ honestatis impedimentum? Sacra congr. censuit sponsalia hæc, cum a principio valida fuerint, induxisse impedimentum publicæ honestatis, licet mutuo consensu dissoluta; quia concilium hoc solum considerat, quod a principio valida sint; et quia si a principio valida, deinde dirempta per mortem, id impedimentum inducunt, ita et dissoluta consensu. Et novissime, jubente sanctissimo domino nostro, propositum fuit in sacra congregatione concilii: An sponsalibus valide ab initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis? Et pluries proposito dubio ac mature examinato, tandem sub die 6 Julii 1638, eminentissimi Patres in antiqua ejusdem congregationis sententia consistentes censuerunt non esse sublatum: cujus sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis, et recentioribus ejusdem congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas Sua, die 10 ejusdem mensis, prædictam congregationis resolutionem probavit, eandemque jussit in dubium deinceps non revocari. »

(28. Affinitas. Vide verb. AFFINITAS per totum.

#### ADDITIONES CASINENSES.

*An valide contrahi possit matrimonium inter vitricum et uxorem privigni.*

Præstat in hac re per extens. referre, quæ Bened. XIV docet, in sæpius memorato aureo opere, *De synod. diæc.*, l. ix, c. 13; tenoris, ut sequitur.

« Cum sacræ congregationis concilii secretarii munere fungebamur, acriter in ea disputatum fuit, an textus juris civilis in l. *Uxorem*, ff. *De ritu nuptiarum*, esset correctus et abrogatus a jure canonico in cap. *Non debet*, De consanguinit. et affinit. Disputationi autem causam dedit quædam synodalis constitutio, cujus firmitas a prædictæ legis civilis pendeat firmitate. Quidam episcopus in suis constitutionibus synodalibus explicans impedimenta matrimonium dirimentia, et specialim impedimentum affinitatis provenientis ex copula licita, dixit matrimonium valide contrahi non posse inter vitricum et uxorem privigni, juxta citatum textum juris civilis in l. *Uxorem*, 13, ff. *De rit. nuptiar.*, ubi Papinianus ait: « Uxo-

« rem quondam privigni conjungi matrimonio vitrici non oportet, nec in matrimonio convenire novercam ejus, qui privigni quæ maritus fuit: » cui quidem textui minime derogatum addebat ab Innocentio III, in cit. cap. *Non debet*, De consanguinit. et affinit., quoniam, ut ipse aiebat, Innocentius duntaxat revocavit et abolevit impedimentum secundi et tertii generis affinitatis in linea collateralium; non autem in linea ascendentium et descendentium: sicuti utrumque textum, canonicum scilicet et civilem perpendentes, docuerunt Oinotomus ad lib. *Instit.*, tit. *De nupt.*, n. 14, Arnoldus Vinnius, ad eumd. tit., n. 2; Joannes Schneideunitus, in *Comment. ad Instit. civil.*, lib. i, *De nupt.*, tit. 10, pag. 30; Bruneman, in *Comment. ad Pandectas*, ad cit. leg. *Uxorem*, 13, ff. *De rit. nuptiar.*, quorum auctorum judicium non ideo parvi faciendum est, quod ii sint heterodoxi, quoniam et ipsi, quoad matrimonii impedimenta, jus canonicum sectantur: quare citatus Schneideunitus affirmat, hanc unicam ob causam matrimonium inter vitricum et uxorem privigni, ab eorum consistoriis irritum pronuntiari: « Quia, ait, in hoc casu jus civile expresse non reperitur correctum a jure canonico. » Idemque in tribunalibus Galliæ sæpius judicatum, refert Antonius Mornaecius in *Observ. ad 24 primos libros Digestorum*, lib. xxiii, ad leg. 42, *De rit. nuptiar.*, pag. 762. Et dato etiam, pergebat episcopus, quod in casu, matrimonio non obest impedimentum affinitatis, obstat saltem impedimentum publicæ honestatis; quod consideravit Modestinus jurisconsultus, cum in leg. *Non facile*, 4, ff. *De gradibus et affinitatibus*, ait: « Hos itaque inter se, quod, affinitatis causa, parentum loco, liberorumque habentur, matrimonio copulari nefas est. » Et profecto matrimonium, de quo est sermo, ob maximam, quam redolet, inhonestatem, a jure civili improbatum censuit Faber in sua *Jurisprudentia Papiniana*, tit. 10, *De nuptiis princ.* 6, illat. 12, inquit: « Inhonestum autem palam est, eam, quæ aliquando uxor fuerit illius, qui mihi aut filii, aut parentis loco fuerit, uxorem a me duci. » Cui astipulatur Carpovius lib. ii *Jurisprud. consist.*, tit. 7, *De dispensat. matrim. in gradu prohibito*, definit. 119, ubi ait: « Privignus a vitrici, et hic rursus a privigni vidua abstinere debet, non solum ob rationem honestatis, quæ in matrimonio multum attenditur, sed etiam propter expressam juris civilis dispositionem. »

« II. Nihilominus tamen, hujus quæstionis articulo in sacra congregatione concilii mature discussio, expensisque rationum momenti, a nobis, qui (ut diximus) ejusdem a secretis eramus, in utramque partem adductis, eadem sacra congregatio, die 8 Martii 1721, validum pronuntiavit matrimonium inter vitricum et uxorem privigni contractum. Neque enim ulla habenda fuit ratio prædictarum constitutionum synodalium, utpote quæ unice innitebantur *Juris civilis* sanctionibus, jamdiu correctis atque abro-

gatis ab Innocentio III in cit. cap. *Non debet*, De consanguinit. et affinit. Ad cujus textus expositionem præmittendum est, triplex olim fuisse affinitatis genus, juxta can. 3, can. final. 35, quæst. 3, et cap. 1, *De sobole ex secundis nuptiis suscepta*, in prima collectione *Decretalium*: primum una duntaxat media persona; alterum duabus; tertium tribus personis mediis contrahebatur: quæ omnia exemplis melius, quam ulla alia ratione, explicantur. Si Titius, frater Caii, matrimonium iniisset et consummasset cum Berta, hæc Caii affinis erat, sicuti nunc est, in primo genere affinitatis; si, mortuo Titio, Berta matrimonio jungebatur cum Sempronio, Sempronius alter Bertæ maritus, et Caius, et omnes defuncti Titii consanguineos, secundo affinitatis genere contingebat; si demum, mortua Berta, Sempronius aliud conjugium celebrasset cum Nævia, etiam cum hac et Caius, et omnes consanguinei Titii, tertio affinitatis genere conjungebantur. Ex his porro affinitatis speciebus quælibet matrimonio valide contrahendo obstat; quod et cit. can. 3, et final., liquet, et explicant Petrus Blesensis, epist. 115, ac fuse Sanchez lib. vii *De matrim.*, disput. 67, ac Basilius Pontius lib. vii, cap. 34, sed Innocentius III, in laudato cap. *Non debet*, secundam et tertiam affinitatis speciem abolevit et abrogavit; statuitque, ut deinceps sola affinitas primi generis, usque ad quartum gradum, matrimonium impediret et dirimeret. Adeo autem indefinite Innocentius loquitur, ut gratis omnino atque arbitrario quis sibi fingere valeat, per præfatam decretalem abrogatas et deletas non esse secundam et tertiam speciem affinitatis in linea recta ascendentium et descendentium; quemadmodum ad tit. *De consanguinit. et affinit.* optime ponderarunt Zoësius, n. 9; Engel, n. 6; König, n. 22; Schmalzgrueber, n. 77, et auctor *Theolog. dogmat. et moral. ad usum seminarii Catalaunensis*, tom. VII, pag. 853, unde ab omnibus canonistis, iustarum regulæ nullam habentis limitationem, usurpatur commune illud effatum: *Affinitas non parit affinitatem.*

« III. Jam vero, cum vitricus et uxor privigni, secundo duntaxat, et non primo affinitatis genere, inter se conjungantur, necessario inde consequitur, nullo nunc detineri canonico impedimento quo minus possint validum matrimonium inter se contrahere: sicuti egregie ratiocinatur Cujacius ad tit. 14, *De consanguinit. et affinit.*, Oper. posthumor. tom. III, edit. Paris. anni 1638, pag. 366, inquit: « At hodie ex cap. penultimo, sive concilio Lateranensi, habito sub Innocentio III, in secundo genere affinitatis nuptiæ vetitæ non sunt, et abrogata est lex 13, ff. *De rit. nuptiar.*, » et in *Comment. ad eandem legem, Uxorem*, 13, tom. I Oper., pag. 153, ubi ait: « At hæc Papiniani sententia hodie abrogata est decreto Innocentii, in cap. *Non debet*, extr. *De consanguinit. et affinit.*, quo in primo tantum genere affinitatis nuptiæ prohibentur, non in secundo, vel tertio, et personæ, de quibus in hac lege



« agitur, sunt in secundo genere affinitatis, « non in primo. »

« IV. Remoto impedimento affinitatis illico corrumpitur aliud, quod ex publica honestate oriri fingitur: etenim impedimentum publicæ honestatis unice emergit aut ex sponsalibus validis, juxta textum in cap. 1, *De sponsal. et matrim.*, in 6, et cap. 3. sess. xxiv concilii Tridentini, *De reform. matrim.*, aut ex matrimonio duntaxat rato, ad normam constitutionis S. Pii V incipientis *Ad Romanum*: matrimonium autem consummatum aut veram producit affinitatem, aut certe aliud impedimentum non parit. Præterea publicæ honestatis impedimentum, ex matrimonio rato ortum, solum contrahitur inter maritum et consanguineos uxoris, ac vicissim inter uxorem et consanguineos mariti; non autem inter maritum et affines uxoris neque inter uxorem et affines mariti: vitricus vero non est consanguineus, sed affinis sui privigni, ac proinde neque affinitate, neque publica honestate impeditur, ne matrimonium contrahere valeat cum ejusdem sui privigni uxore. Itaque concludendum est, male fuisse in præfatis constitutionibus synodalibus allegatas leges civiles, quæ ex jure canonico jamdiu fuerant expresse abrogatæ.

« In synodo Limana, prosequitur idem Bened. XIV, decretum est, ut Indi Peruanæ, qui matrimonium contraxerunt cum noverca, vel nuru, non admittantur ad baptismum, nisi

(42-45) Hæc habet Rigantius, ibi: « Quæsitum an in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, inter vitricum nempe et privignam, privignum et novercam, socerum et nurum, generum et socerum Pontifices dispensare possint, pro nuptiis contrahendis? Et quamplures insignes theologi et canonistæ dispensare non posse responderunt, quippe nuptiæ præfate prohibita videntur de jure naturæ, et habentur ex civilibus sanctionibus, præsertim in l. ult., § *Noverca*, ff. *De condit. sine caus.*, ubi nuptiæ inter vitricum et privignam dicuntur prohibita de jure gentium, jus autem gentium peculiariter primarium, apud gentes erat jus naturale... »

« Et sententiam hanc sequuntur præ cæteris Turrecremata. P. Victor. Konick, Bellarm., Natal. Alex., etc. »

« Contrariæ vero sententiæ, quod Pontifices potestate gaudeant dispensandi super primo gradu affinitatis lineæ rectæ, adherent Sanchez, Pontius, alique plures... Et posterior hæc sententia verior est; non enim inter prædictas personas conjugia prohibita sunt jure naturali, sed lege tantummodo ecclesiastica, super qua Pontifices plenaria fruuntur dispensandi facultate... »

« Eademque sententiam, quod possit Pontifex dispensare in primo gradu affinitatis in linea recta, secuta est S. congregatio SS. Inquisitionis, dum actum fuit super dispensatione petita a duce Mantuæ pro ducenda nuru in uxorem... nec non congregatio particularis habitæ coram s. mem. Benedicto XIII, die 14 Februarii 1727... »

« At vero perpendentes Pontifices quod privigna respectu vitrici, privignus respectu novercæ, nurus respectu soceri, gener respectu socrus, filiorum loco habiti sunt, qua ratione ex illorum conjunctione maxima oriretur turpitudine et indecentia, quam et jus civile agnovit, dum conjugia inter easdem personas celebrare prohibuit... hinc ab hujusmodi dispensatione concedenda se abstinuerunt.

prius conjugium præfatum ve.uti jure naturæ irritum, solvant, uti refert Acost. *De procuranda Indorum salute*, tit. 16, cap. 21. Synodus hæc certum ponit, affinitatem, quæ ex matrimonio causatur, jure naturæ dirimere matrimonium in primogradu lineæ rectæ: id autem certum non est, cum probatissimi auctores doceant, nullam affinitatem, ne eam quidem, quæ est in primo gradu lineæ rectæ, dirimere matrimonium jure naturæ, sed jure tantum ecclesiastico, et consequenter super eo impedimento, gravissimis urgentibus causis, posse a summo Pontifice dispensari: Sylvius, *Oper.* tom. V, in verb. *Dispensatio*, tertio. At, quidquid sit de potestate, a simili dispensatione Romani Pontifices, etsi pluries rogati, abstinuerunt. Legi potest Rigantius cit. tom. IV, ad regul. 49 *Cancellariæ* a n. 18 et seq., ubi etiam mentionem facit nostri consilii reverenter exhibiti, dum in minoribus essemus, Benedicto XIII nostro benefactori, ut a simili dispensatione, pro qua rogabatur, abstinere, prout abstinuit (42-43). »

(29. Impotentia prout est impedimentum dirimens, non est impotentia generandi, sed impotentia coeundi, seu perficiendi copulam conjugalem. *Communis*, arg. tot. tit. *De frigid. et malefic.* (30. Hæc impotentia dividitur primo in naturalem, seu intrinsecam et accidentalem, seu extrinsecam. *Prima* est illa quæ oritur ex ipsius naturæ defectu, v. gr. ex nimia frigidityte, debilitate, deficien-

Enixe rogatus san. mem. Urbanus VII a Carolo Gonzaga Mantuæ duce, ut veniam sibi faceret ducendi in uxorem nurum suam, quam ejus prædefunctus filius sine prole reliquerat. Pontifex post exquisitum votum S. congregationis sanctissimæ Inquisitionis, nec non cl. mem. cardinalis de Lugo, qui censuit, posse quidem, sed non expedire ob maximam illius conjunctionis turpitudinem dispensationem denegavit, die 5 Jul. 1637... »

« Eademque dispensationem, prævio voto dictæ congregat. die 22 Novem. 1636, laudatus Urbanus denegavit Joanni Arbogasti, comiti de Thun... petenti, ut cum secunda uxore avi materni, quam prægnantem reddiderat, matrimonium contraheret; et repetitis per comitem præfatum supplicationibus, stetit in decretis. Prævio itidem voto ejusdem S. congr. idem Pontifex, anno 1642, indulgere noluit Egidio Ermans, dioc. Iprei. ut in uxorem duceret ejus privignam; et anno 1658, cum Ant. Bernard et Joa. de Rubéis supplicasset, cum ipsis dispensari, ut matrim. contrahere possent, non obstante, quod essent conjuncti in primo gradu affinitatis, (quippe agebatur de vitrico et privigna) et eam dictus Antonius carnaliter cognoverat; S. M. Alexander VII post auditum dictæ congr. votum, die 28 Mart. dispensationem denegavit. Nostrisque temporibus san. mem. Benedictus XIII inhaerendo voto congregat. particularis, de qua meminimus, indulgere noluit vitrico cuidam, ut matrimonium cum privigna contraheret... Quemadmodum, nunquam super hujusmodi impedimentis primi gradus affinitatis in linea recta usque ad eorum tempora Pontifices dispensasse testatur Diana... etc... Et licet Bassæus... testetur, Pontifices aliquando similes dispensationes concessisse, nihilominus id affirmat, sed non probat. Cornelius a Lapide in III *Reg.*, cap. 2, (ait), quod talis dispensatio semper fuit denegata... Sic Rigantius ad regul. 49 *Cancell.* (ut supra), num. 18 et seqq.

tia, aut ineptitudine necessariorum, et in femina talis vasis arctitudo, ut a viro penetrari nullatenus possit. *Secunda* est illa, quæ provenit non ex naturæ defectu, sed ex maleficio, vel hominis opera, qualis reperitur in maleficiatis, castratis et hujusmodi. Secundo dividitur in perpetuam et temporalem. (31. *Perpetua* est illa, quæ non potest tolli, aut superari, nisi cum mortis periculo, aut miraculo, aut gravi peccato per media illicita. *Temporalis* est illa, quæ per media artis medicæ, aut Ecclesiæ, v. g. per exorcismos, aut alia media spiritualia potest aliquando tolli, aut superari; argum. capit. *Fraternitatis* 6, De frigidis et maleficiatis. (32. Tertio dividitur in absolutam et respectivam. *Absoluta* est illa, quæ reperitur in viro per ordinem ad quascunque mulieres, aut in muliere per ordinem ad quoscunque viros. *Respectiva* est illa, quæ solum constituit impotentem per respectum ad determinatam personam, et non ad alias.

(33. Impotentia perpetua, sive fuerit naturalis, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, dirimit matrimonium contrahendum, tum jure ecclesiastico, tum jure naturæ. *Communis*. De jure enim ecclesiastico constat ex cap. *Accepisti* 1, cap. *Quod sedem* 2, c. *Ex litteris* 3, cap. *Laudabilem* 5, cap. *Fraternitatis* 6, et cap. *Litteræ* 7, De frigidis et maleficiatis. De jure naturæ inde patet, quod de essentia et intrinseca ratione matrimonii sit obligatio ad reddendum debitum, et traditio corporis apti ad congressum materialem, seu copulam conjugalem; sed perpetuo impotens ad copulam non potest se obligare ad eam: *Impossibile enim nulla est obligatio*; leg. *Impossibile* 185, De regulis juris; et c. *Nemo potest* 7, De regulis juris, in 6, etc. (34. Dicitur autem notanter *matrimonium contrahendum*, quia si talis impotentia superveniat post matrimonium jam contractum, ipsum non dirimit, ut tenet *Communis doctorum*, textu expresso in cap. *Hi qui* 25, caus. 32, quæst. 7.

(35. Impotentia perpetua antecedens dirimit matrimonium, sive fuerit antecedenter cognita, sive ignorata; Navarr. in *Manual.*, c. 22, disp. 60. Coninch., n. 31, dub. 7, n. 79; Bonacina, *De matrim.*, quæst. 7, punct. 3, proposit. 3, n. 12; Rosignol., controv. 15, *De matrim.*, 11, prænot. 17, n. 5; Panormitanus, Hostiensis, et Innocentius in cap. *Consultationi* 4, De frigidis et maleficiatis; Pirhing., lib. iv *Decret.*, tit. 15, n. 9. Reifensstuel, *ibid.*, n. 61; Henno, tom. II, tract. *De matrim.*, ultim. artic. 6, et alii passim contra paucos. Et ratio est, quia talis impotentia, sive cognita, sive ignorata, est semper contra naturam, et essentiali matrimonii, quia excludit traditionem corporis apti ad copulam conjugalem; quæ traditio corporis apti est de essentia matrimonii: licet enim usus matrimonii non sit de ejus essentia, potentia tamen ad usum est ipsi essentialis, ut recte docet S. Thomas in 4, dist. 34, qu. unic., art. 2, ad 1, ibi: « Quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad hoc est

de essentia ejus »: et idem *ibidem* docent Scotus, Richardus et Durandus.

(36. Neque obstat, quod, qui povit impotentiam alterius, videatur juri suo renuntiare, si cum eo contrahat ac proinde subsistere matrimonium. Non obstat, inquam, quia, cum cessio illa sit juris ad substantiam matrimonii contractus spectantis, admitti non potest, sicuti nec cessio, qua quis matrimonium contrahens, indissolubilitatis juri cedere præsumeret. (37. Unde merito Sixtus V, constitut. incip. *Cum frequenter*, decrevit hujusmodi matrimonia, sive contracta cum scientia, sive cum ignorancia, nulla, irrita et invalida penitus esse, ibi: « Fraternalitati tuæ per præsentem committimus et mandamus, ut conjugia per dictos et alios quoscunque eunuchos et spadones utroque feste carentes cum quibusvis mulieribus defectum prædictum, sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto etiam matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita et invalida esse decernas. » Hinc, si hæc verificantur, non obstante scientia inter eunuchos, cur verificari non debent, non obstante eadem scientia inter perpetuo impotentes? De utrisque enim militat eadem ratio. Eo vel maxime, quod Sixtus V in ead. cit. const. expresse declarat, impotentes minime esse aptos ad contrahendum, ibi: « Secundum canonum sanctiones, et naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt et impotentes, idem minime apti ad contrahendum reperuntur. »

(38. Unde post dictam Sixti V constitutionem eunuchi, et quicumque perpetuo impotentes nequeunt contrahere matrimonium cum impedimenti seu impotentiae consciis, neque ad societatem vitæ, et caste vivendum per modum fratris et sororis; Sanchez, lib. ix, disp. 97, ubi hanc vocat certissimam; Dicastill., disput. 7, dub. 43, ubi vocat omnino veram, Tannerus disp. 9, quæst. 4, n. 136, ubi vocat certam, Perez, disp. 37, sect. 1, ubi hanc dicit esse communem sensum totius scholæ. La Croix, l. vi, p. III, n. 785; ubi vocat communissimam, Sporer t. III, p. iv, c. 1, sect. 1, n. 123, ubi dicit sic sentire doctores communissime contra Pontium apud Dianam, part. iv, tract. 4, resolut. 75. Et ratio nostra, ultra fundamenta adducta a citatis doctoribus, est, quia citata constitutio Sixti V absolute definit, impotentiam esse impedimentum dirimens matrimonium, et nihil distinxit quoad hanc, vel illum usum, ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, De privilegiis, et leg. *De pretio*, ff. *De Publiciana in rem actione*.

(39. Eunuchi autem, et spadones unico tantum testiculo carentes valide, et licite matrimonium contrahere possunt. *Communis*



arg. cit. constitut. Sixti V. Cum enim dicantur esse invalida matrimonia inita per eunuchos et spadones utroque testecarentes, videtur sequi, quod, si unico tantum teste careant, possint valide et licite contrahere. Et stat ratio, quia, licet ipsi sint minus potentes, sunt tamen vere potentes, ad actum conjugalem, et ad generationem, ut praxis, et experientia docet. (40. An autem, et quomodo hermaphroditum possint valide et licite matrimonia contrahere? Vide verb. HERMAPHRODITUS.

(41. Impotentia temporalis non dirimit matrimonium; Communis, textu expresso in cap. *Fraternitatis* 6, De frigid. et maleficiat. (42. In dubio autem, an impotentia sit temporalis, vel perpetua, conceditur a jure integrum triennium ad faciendum experimentum, si possit nec ne haberi perfecta copula, textu expresso in c. *Laudabilem* 5, et cap. *Litteræ* 7, De frigid. et maleficiat. Et hoc triennium debet computari a die attentatæ copulæ, non vero a die contracti matrimonii; Glossa in cit. cap. *Laudabilem*, verb. *Celebrati*; Sanchez, l. vii, disp. 110, n. 1, ubi testatur de communi; cum enim in dicto c. *Laudabilem*, dicitur a tempore celebrati conjugii, supponitur ex tunc attentatam fuisse copulam, quia dictum triennium conceditur ad experiendum an impotentia perpetua adsit nec ne? hoc autem experimentum inchoatur sola copulæ attentatione, adeoque, etc.

(43. Si, facto tali experimento, ambo conjuges in foro externo fateantur adesse impotentiam perpetuam ex parte unius, non potest illorum matrimonium, nec propria, nec judiciis auctoritate annullari, nisi prius sit facta legitima probatio ad præscriptum sacrorum canonum. Communis, arg. cap. *Accepisti* 1, De frigid. et maleficiat. (44. Sacri autem canones præscribunt, in tali casu requiri juramentum viri, quod serio per tale tempus tentarit copulam, et mulieris, quod etiam conata sit, nec impedierit. Item jurare debent ex parte cujuslibet conjugis septem propinqui, vel, his deficientibus, septem vicini, et sic inter omnes quatuordecim bonæ famæ, quod credant conjuges verum affirmare, textu expresso in c. *Litteræ* 7, De frigid. et maleficiat., et concordat cap. *Laudabilem* 5, eod. (45. Si vero unus conjugum neget, et alter affirmet impotentiam perpetuam, tunc non requiruntur quatuordecim propinqui, seu ex qualibet parte septem, sed sufficiunt, et adhibendi sunt solum septem ex parte affirmantis; Hostiens., Joan. Andreas, Ancharanus in cit. c. *Laudabilem* 5, De frigid. et maleficiat.; Rosignol., loc. cit., n. 49; Reiffenstuel, loc. cit., n. 51. Sanchez, l. vii, disp. 109, n. 13, et alii passim, arg. cap. *Proposuisti* 4, De probatione.

(46. Si, elapso triennio, vir dubie impotens neget copulam perfectam habitam esse, mulier vero id affirmet et non appareant certa signa impotentiae, sed solum ambigua et dubia, debet credi uxori affirmanti, et pronuntiari pro valore matrimonii; Sic Joan. Andreas, et Ancharan. in cit. cap. *Laudabilem*, n. 4; Sanchez, lib. vii, disp. 109, n. 9, et communis aliorum; et ratio est, quia id exigat favor matrimonii; arg. cap. final. *De sentent. et re judicat.*, et juxta regul. 65 juris, in 6. In pari... causa potior est conditio possidentis. (47. Item, si, elapso triennio, mulier neget copulam perfectam habitam esse, et vir dubie impotens affirmet, si non appareant certa signa impotentiae, sed solum dubia, debet credi viro affirmanti, et pronuntiari pro valore matrimonii; arg. cap. *Si quis* 3, caus. 33, q. 1, et cap. *Accepisti* 1, De frigid. et maleficiat., et tenent Pirhing., lib. iv, tit. 15, n. 14; Engel *ibidem*, n. 6; Reiffenstuel, n. 49; Sanchez, lib. vii, disput. 109, n. 2, et alii passim.

(48. Si impotentia antecedens sit perpetua certo sic cognita per inspectionem corporum, ut posse et debere fieri innuere videntur cap. *Fraternitatis* 6, et cap. *Litteræ* 7, De frigid. et maleficiat., cap. *Proposuisti* 4, et cap. *Causam matrimonii* 14, De probationibus, vel aliunde talis impotentia sit simpliciter evidens, matrimonium debet statim declarari nullum, absque concessionem triennii ad faciendum experimentum, et absque interpositione juramenti propinquorum et conjugum, quod copulam perfectam nunquam habuerint; quando enim evidenter constat de impotentia, evidens est etiam, matrimonium esse nullum et consequenter conjuges putativos separandos esse ab omni commercio carnali et posse conjugem potentem, cui voluerit, nubere; Communis cum Abbate in cap. *Fraternitatis* 6, De frigidis et maleficiat., n. 11, et Sanchez lib. vii, disp. 103, n. 7. (49. Si per inspectionem, vel aliam probationem non habeantur signa physice certa, et simplicitate evidenti de impotentia, sed solum verisimilia et quasi moraliter certa, tunc potest quidem et debet declarari nullum matrimonium, non expectato triennali experimento: Ast debet uterque conjux jurare nunquam potuisse habere perfectam copulam, et de eorum digna credulitate debent jurate affirmare quatuordecim propinqui, aut vicini bonæ famæ, scilicet septem ex parte utriusque conjugis; Sanchez lib. vii, disp. 107, n. 4; Engel, lib. iv *Decret.*, tit. 15, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 43; La Croix, l. vi, par. iii, n. 787, et alii passim; arg. cap. *Laudabilem* 5, De frigid. et maleficiat. (50. Si post inspectionem, aut aliam probationem non habentur nisi signa dubia de impotentia perpetua, præter dictum juramentum conjugum et propinquorum, requiritur etiam triennale experimentum; Communis, textu expresso in c. *Litteræ* 7, De frigid. et maleficiat., et concordat cap. *Laudabilem* 5, eodem.

(51. Si quando certo et evidenter constat de impotentia perpetua, dubitatur autem, an præcesserit matrimonium, vel illo jam contracto supervenerit? si sit impotentia naturalis, seu intrinseca, præsumitur præcessisse; Sanchez, l. vii, disp. 103, n. 5. Guttierrez, *De matrim.*, c. 116, n. 2., et communis aliorum; arg. cap. *Litteræ* 7, De frigidis

et maleficiat.; et ratio est, quia, quod a natura inest, semper inesse videtur, et consequenter etiam antecedenter inesse præsumitur, ut late probat Menochius, *De præsumptionibus*, l. 1; præsumpt. 14, n. 3. Si vero sit impotentia accidentalis, seu extrinseca, ut proveniens ex maleficio, aut mutilatione membri et hujusmodi, et conjux potens, solum multo et longo tempore elapso post contractum matrimonium, conqueri et reclamare incipit de impotentia alterius, in foro externo præsumitur eam fuisse subsecutam; Sanchez lib. vii, disput. 103, n. 6 et seq.; Guttierrez, *De matrim.*, cap. 116, n. 2; Rosignol, loc. cit., n. 63. Reiffenstuel, loc. cit., n. 30, et alii passim; arg. cap. *Accepisti* 1, De frigid. et maleficiat., ibi: « Quia si proclamare voluit, cur tandiu tacuit, cito enim, et in prævio tempore scire potuit, si secum coire potuisset. » Si autem conjux potens brevi tempore, uno vel altero mense post contractum matrimonium, statim conqueri et reclamare incipit de impotentia alterius, præsumitur eam præcessisse. Ita doctores citati, arg. cit. cap. *Accepisti*, ibi: « Si autem statim in ipsa novitate post mensem, aut duos, ad episcopum, aut ejus missum (*id est vicarium*) proclamaverit, etc. »

(52. Dato casu quo ob præsumptam et allegatam perpetuam impotentiam dissolvatur matrimonium, et conjux præsumptus et allegatus impotens contraxerit cum alia et cum ipsa perfectam copulam habuerit, comperto errore, est dissolvendum secundum matrimonium et reintegrandum primum; Communis textu expresso in cit. cap. *Laudabilem* 5, et cap. *Fraternitatis* 6, De frigid. et maleficiat. (53. Excipitur autem primo quando impotens factus est postea potens per solum miraculum, quia ex eo, quod impotens reddatur potens per miraculum, non sequitur impotentiam fuisse temporalem. Communis arg. cap. *Fraternitatis* 6, De frigid. et maleficiat. (54. Excipitur secundo quando impotentia tollitur ope demonis aut per media illicita, v. gr. incantationem et hujusmodi, quia impotentia, quæ naturali et licito modo tolli nequit, censetur perpetua, quamvis tollatur modo illicito. Communis arg. cit. cap. *Fraternitatis*. (55. Excipitur tertio quando impotentia perpetua est respectiva, v. gr. ob arctitudinem vasis determinatæ mulieris, quia respectu hujus est et manet matrimonium nullum, quamvis cum alia postea latius vas habente, copulam perfectam habere possit et consequenter matrimonium valide contrahat; respectu enim illius mulieris vas nimis arctum habentis habet impotentiam perpetuam, unde ab ipsa remanet perpetuo solutus; Sanchez, lib. vii, cap. 99, n. 18; Henricus, in cap. *Fraternitatis* 6, De frigid. et maleficiat., n. 12; Rosignol., loc. cit. n. 57; Reiffenst. loc. cit. n. 59, et alii passim. (56. Excipitur quarto quando impotentia provenit ex maleficio et cum priori conjugum factum est triennale experimentum et habitæ sunt omnes aliæ probationes a jure præscriptæ, quia frequentissime accidit maleficia perpetua fieri ad cau-

sandam impotentiam respectu certæ tantum personæ et non omnium, Glossa communiter recepta in cap. *Accepisti*, verb. *Reparare*, et cap. *Laudabilem*, verb. *Separantur* et verb. *Redire*, et cap. *Litteræ*, verb. *Cognoscendis*, De frigid. et maleficiat.; Abbas, in cit. cap. *Accepisti*, n. 7; S. Thomas, in 4, dist. 35, quæst. unica, art. 3, in cap. *Si per sortarios atque maleficos* 4, caus. 33, q. 1.

(57. Steriles et senes possunt valide matrimonium contrahere, dummodo natura, vel arte capaces sint ad habendam perfectam copulam; Sanchez lib. iii, disp. 92, n. 26; Engel, lib. iv *Decretal.*, tit. 15, n. 3; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 17 et 18; Pirhing, *ibid.*, n. 3, et communis aliorum. Tunc enim matrimonium est in remedium concupiscentiæ, qui est finis secundarius et minus principalis ob quem etiam fuit institutum, juxta illud Apostoli *I ad Corinth.* vii: *Melius est nubere quam uri*. Unde senex annorum 73 qui votum castitatis emiserat, petiit et obtinuit dispensationem ducendi uxorem ob periculum incontinentiæ, a sacra congr. Concil. in *Senonensi* 28 Septembr. 1686, l. xxxvi *Decret.*, fol. 472, apud Ursayam in *Miscellaneis*, sacr. et profan., verb. *Senex*, n. 133. (58. Moribundi possunt, imo quandoque tenentur contrahere si id exigat honor concubinae, aut proles legitimanda, aut etiam propriæ animæ salus, quæ ob nimium affectum erga concubinam periclitatur ex eo quod non possit habere serium propositum eam dimittendi, quia licet non sint actualiter copulæ capaces, supponitur tamen ordinariam, nisi aliud probetur, potentiam generandi tantum esse impeditam et non ablatam; Sanchez, *De matrim.* lib. vii, disp. 105, n. 3; Joan. Andreas in cap. *Tanta*, n. 2, *Qui filii sint legitimi*, et ibi Antonius, n. 14; Ancharanus, n. 4, notabil. 2; Cardinal., n. 6; Præpositus, n. 8; Barbosa, n. 8; Pirhing, loc. cit. n. 6; Reiffenstuel, loc. cit., n. 20, et communis aliorum, ut testatur Barbosa loc. citato.

(59. *Clandestinitatis* impedimentum est, si parochi, aut duplicis desit præsentia testis; concil. Trident. sess. xxiv, *De reform. matr.*, cap. 1, ibi: « Qui aliter quam præsentem parochum vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsentem decreto irritos facit et annullat. » (60. Ad valorem igitur matrimonii requiritur præsentia parochi proprii; concil. Trid. loc. cit., *Qui aliter quam præsentem parochum*, et quidem proprio, ut expresse habetur ab eodem concilio in cit. cap. 1, ibi: « A proprio contrahentium parochum. » (61. Nominem parochi non solum veniunt ipsi parochi, sed etiam papa in toto orbe, legati a latere, et nuntii in suis provinciis, cardinales in suis titulis, episcopi et vicarii generales in suis diocesisibus, archiepiscopi, dum actu visitant dioceses suffraganeorum et dum ad eos fit appellatio contra episcopum suffraganeum nolentem aliquos matrimo-